

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 42

Dominus in evangelio dicit: Date et dabitur vobis. Idcirco, necesse est, ut omnis christianus, quamdiu in hoc seculo vivit, ecclesiis vel pauperibus aliquid in elemosinam conferat, ut in futura vita pro ipsa donatione mercedem recipere valeat. Cuius rei ego Pippinus maior domus satis cupidus, volo scire omnes amicos nostros tam presentes quam et futuros, quod nos pro mercedis nostre augmento ecclesiam que est in Crovia, cum omnibus rebus ad se pertinentibus, sive in vineis sive in ceteris terrarum possessionibus, nec non decimam que fisco nostro venerit ad monasterium Epternacum concedimus, ubi ipse sanctus Willibrordus requiescit, ut omni tempore fratres ibidem Deo servientes melius delectet pro salute nostra misericordiam superni iudicis iugiter deprecari. Hanc donationem firma ratione volo esse firmatam, quatinus nullus successorum meorum de ipsa ecclesia quicquam abstrahere vel minuere presumat, sed semper, ut diximus, ipsi sancte congregationi quicquid exinde venerit, ad servitium proveniat. Et ut certius posteri nostri credant, hanc cartam manu propria subter firmamus et anulo nostro fideliter sigillamus.